DE RETRACTATIONE FASTORUM OVIDII

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS
DIE VI M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXVII HORA XI
PUBLICE DEFENDET

PAULUS GOLDSCHEIDER
PALAEOMARCHICUS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
H. RUETER DR. PHIL.
F. KLUGE CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM
TYPIS KARRASIANIS

Subita relegatione P. Ovidii Nasonis, quam Augustus a. p. Chr. n. 7 iussit, fasti, quibus illo tempore operam dabat, interrupti sunt. Quo factum est, ut sex tantum libri relinquerentur, dimidia pars totius operis, qui difficultatibus abundant. Nam extare videtur duplex dedicatio, cum poeta modo Augustum modo Germanicum alloquatur; porro non ulli loci nisi exilio orti esse non possunt, alii manifesto ad ius tempus pertinent, hic de Augusto ut de vivo dicitur, ic cognosces, Tiberium imperatorem esse, alius locus cum o pugnat, multa denique sunt perturbato ordine scripta. rimas autem harum difficultatum primus subtiliter inda- vit Merkelius easque acutissima coniectura usus ita inter- etatus est[1]: Ovidius Romae carmen suum Augusto dedi- verat, sed, cum exilio interruptum esset, Tomis retractare epit, quo tempore a. p. Chr. n. 17 Germanicum ad com- nendas res orientis missum esse audivit, adductus spe e ut illius oculos in se converteret. Sed, cum in retra- ando ad finem primi libri pervenisset, morte abreptus est.

Nuper autem Rieseus et Peterus in contrarias partes hac Merkelii sententia discurrerunt, cum ille eam rei- t, hic defenderet.[2]) Rieseus enim demonstrat, carmen

[1]) Ovidii fast. ed. Merkel. 1841.

[2]) Alexander Riese, P. Ovidii Nasonis carmina, vol. III. Praefatio. hrbücher für Philologie, 1874. p. 561 sq. — Bericht über die Lit- zu Ovid in den Jahren 1874 und 1875, Bursians Jahresberichte — Hermann Peter, P. Ovidii Nasonis Fastorum libri sex 9 sq. — rbücher für Philologie, 1875. p. 499 sq. — Herm. Peteri De P. Ovidii onis Fastorum locis quibusdam Epistula critica. Lps. 1874.

iam Romae Germanico dedicatum esse, poetam in exilio retractationem non suscepisse, sed quaedam per occasionem hic illic inseruisse. Peterus contra ad coniecturam Merkelii multa addidit, ex quibus cognosceretur, qualis illa retractatio primi libri fuisset. Sed equidem neutri plane assentiri possum. Nam mea sententia est haec: Poeta ante exilium in hoc carmine scribendo ita operam collocaverat, ut singulas partes per se conficeret. Deinde opus exilio interruptum usque ad annum p. Chr. n. 15 plane omissum est. Sed paulatim eo ductus, ut gratiam Germanici sibi conciliaret, non multo post carmen retractare et Germanico dedicare constituit. Scripsit ergo prologum ad Germanicum, coniunxit singulas partes, intulit, quae a tempore exilii praeclare gesta erant, et quae ad laudem Tiberii et Germanici celebrandam necessaria videbantur, usus moderatione a questu aliena et ad tale opus apta. Ita contigit ei, ut sex libros perficeret. Sed diligentia ubique desideratur.

Dividitur autem quaestio in duas partes; in prior[e] enim confirmandum est, re vera retractationem extare; i[n] altera quaerendum, qualis illa fuerit. Et in priore quide[m] quaestione primum explicabo, quae ex epistulis affe[rri] possunt, deinde ipsos fastos perscrutabor.

I.

a. In epistulis mihi quaerendum videtur primum, qual[is] sit mentio fastorum, deinde Germanici, cui carmen nob[is] relictum dedicatum est. Habemus enim in libris epistularum qui nullo intervallo interiecto quotannis Romam missi sunt [1] omnem cogitandi et agendi rationem poetae tempore ex[ilii] adumbratam.

De fastis autem in omnibus libris epistularum uno l[oco] aperte dicitur Trist. II, 549 sq.

---

[1]) Trist. I a. p. Chr. n. 7—8, Trist. II a. 8, Trist. III a. 9, T[rist.] IV a. 10, Trist. V a. 11, Ex P. I et II a. 12, Ex P. III a. 12—13[.] E. v. Leutsch, Encyklopädie von Ersch und Gruber, Sect. III, Ba[nd] VIII, 51—53.

Sex ego fastorum scripsi totidemque libellos
cumque suo finem mense volumen habet.
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Caesar,
et tibi sacratum sors mea rupit opus.

Quo libro II Tristium poeta Augusto innocentiam suam demonstrare studet atque affert, quidquid priorum carminum lasciviam excusare potest. Exponit igitur, se etiam graviori generi poesis operam dedisse v. 547. In enumeratione talium carminum temporis ordine non servato primum appellat fastos, deinde tragoediam (553), tum Metamorphoses (555), quia fasti, neque ad finem ducti neque editi, argumento maxime a prioribus carminibus differebant. Quaecunque Augustus a poetis suae aetatis carminibus celebrari volebat: suam suorumque laudem, cultum deorum, veterum rerum Romanarum descriptionem, vetustae simplicitatis imaginem, praecepta ad vitam tranquillam, omnia haec in fastorum illustratione elegantissime coniuncta erant; quoniam illa tria, gloria nominis Romani, patrii dei, gens Iulia ab Augusto prudentissime in fastis conexa per totum annum celebrabantur.[1]) Tale carmen igitur sorte sua adversa interruptum esse, queritur Ovidius versibus supra dictis Trist. II, 549—552. Carminis praestantia autem non modo argumento eius comprobatur, sed etiam dedicatione ad Augustum, quae verbis „sub nomine Caesaris scriptum" et „Caesari sacratum" significatur atque ita exprimitur, ut magis ad deum quam ad hominem pertineat.[2]) Sed fasti nobis relicti incipiunt a dedicatione ad Germanicum, non ad Augustum. Inde concludit Rieseus, dedicationem ad Augustum Trist. II, 551 ab Ovidio fictam esse adulationis causa; eos enim esse mores Ovidii, ut mendacii eum non pudeat, si commodum ex eo capere possit; atque, cum carmen nondum editum esset, eum non metuisse, ne quis fraudem animadverteret. Iure haec sententia a Petero reicitur, sed offendo in causa, quam affert. Nam quod dicit, Rieseum oblivisci, quantopere fastorum ratio ad Augustum pertineat, id nullius momenti esse

---

[1]) Preller, Römische Mythologie, 325, 326.
[2]) Forcellini, Totius latinitatis lexicon, I, 572.

puto. Etiamsi enim totum carmen ad solum Augustum spectaret, tamen nondum efficeretur, ut Augusto dedicatum esset. Velut Vergilii Georgicis Augustus celebratur, quippe qui per totum carmen saepius laudetur, sed dedicatum est carmen Maecenati.[1]) Ego autem Riesei sententiam propter tres causas falsam esse puto. Primum enim nego, Ovidium priorem dedicationem mutare debuisse ad augendam adulationem, impulsum spe, fore, ut sibi ita imperatorem clementiorem redderet. Nam etiam ex dedicatione ad Germanicum Augustus satis cognoscere potuit, qualis Ovidii voluntas erga imperatorem esset. Germanicus enim erat propinquus, princeps, filius Drusi, nepos Liviae et Octaviae, is potissimum, quem Augustus maxime diligebat, ut ei aliquando imperium dare vellet, postea eum a Tiberio adoptari iuberet.[2])

Deinde illud mendacium, quod dicit Rieseus, ipsi poetae periculosum fuit, cum facile fieri posset, ut Augustus libros ac scripta eius postularet, ut quaereret, num quid impudicum inesset. Scimus enim, Augustum posteriore parte vitae libros magna suspicione examinasse et persecutum esse[3]), id quod ipso exilio Ovidii comprobatur. Atque etiam priores libros eius e publicis bibliothecis removendas curavit (Trist. III, 1, 65.)

Denique Rieseus mihi omnino non persuadet, mores Ovidii a mendacio haud alienos fuisse. Duo loci enim, Ex P. IV, 14, 44 atque Trist. V, 12, 65, quos ad confirmandam eam sententiam affert, nullius momenti sunt. Ex P. IV, 14, 44 scribit poeta: „Extat adhuc nemo saucius ore meo"; quod Rieseus mendacium appellat, quia Ibis iam editus erat. Sed id ipsum docet, poetam hic mentiri noluisse, nam nemo prudens mentitur, nisi re vera se decepturum esse sperat. Immo extat hoc loco exaggeratio poetis usitata, qua pro eo quod proprie dicendum erat „pauci" minus accurate ad augendam vim dicitur „nemo". Purgaturus enim se a Tomitis, qui obiciunt, sibi a poeta probra illata esse, Ex

---

[1]) Cnf. Verg. Georg. I, 1 sq.; II, 39—46; III, 40 sq.; IV, 1—7 atque I, 24—42; II, 170—173; III, 10—39; 47, 48; IV, 559 sq.

[2]) Tac. annal. I, 3; Suet. Calig. 4.

[3]) Tac. annal. I, 72.

P. IV, 14, 15, opponit gravissimum: Neminem omnino unquam offendi. Apparet autem, multo languidiorem esse sententiam hanc: Neminem offendi praeter unum. Animadvertimus igitur exaggerationem poetici consilii causa, non mendacium. Ac similiter res se habet Trist. V, 12, 65, ubi Ovidius scribit, dolo carmina igni destinata e flammis erepta esse, cum saepissime queratur, nullum sibi amicum Tomis esse, neminem, qui latine loqui possit. Nam haud mirum, quod cum Roma Tomos comparans hic sibi omnia aliena et barbara esse iudicat, atque amicitia urbanitasque desiderantur, etsi alio loco (Ex P. IV, 14, 47) comitatem Tomitarum laudat. Sed poetam mentiri noluisse optime cognosces, si respicies, in ipsa hac epistula Trist. V, 12 utrumque uno tenore dici, vrs. 53 „Non liber hic ullus, non qui mihi commodet aurem", atque v. 65:

Nec nisi pars casu flammis erepta dolove
ad vos ingenii pervenit ulla mei.

Talia igitur variis animi affectibus efficiuntur, quos ipse concedit, Ex P. I, 2, 57. Sed ab his locis longe differt Trist. II, 549, ubi non exaggeratio poetica extaret, sed manifestum mendacium, quod a Rieseo nondum aliis exemplis satis comprobatum est. Quare, cum ficta mutatio prioris dedicationis nec necessaria nec prudens neque honesta sit, non dubito, quin ex illis versibus re vera discamus, poetam fastos ante exilium Augusto dedicasse vel dedicare constituisse. Neque enim opus est, eo tempore dedicationem iam extitisse; sed vel nulla extitit vel dedicatio ad Augustum.

Usque ad mortem Augusti autem Ovidius fastis omnino non vacavit, quorum praeter hos versus Trist. II nusquam in epistulis mentio fit, etsi neque materia scribendi abundant et omnia insunt, quae per illos annos mentem eius commovebant. Inveniuntur enim in epistulis lamentationes et querellae, preces et adulatio; describit suam vitam et mores Getarum; ac libenter de Musa sua loquitur, qualis in exilio sit, comparatque hoc genus epistularum cum prioribus carminibus. Aeque ac priore tempore vel invitus innata indole ad poesin ducitur, Trist. IV, 1, 29; Ex P. I, 5, 9. Sed ubique solum id agit, ut misericordiam amicorum et Caesa-

ris imploret. Nec diligentius scribere potest, Ex P. I, 5, 61 nec maiora vel ab his suis lamentationibus remota, Ex P. II, 5, 27. Itaque omnia, quae non ad exilium pertinent, omittuntur v. 31. Ita autem de tota ratione agendi et cogitandi disserit, ut etiam ea carmina, quae nobis non relicta sunt, hoc tempore composita, ex epistulis cognoscamus, velut carmen ad imperatorem Tiberium Ex p. IV, 6, 17, de morte Augusti Ex P. IV, 8, 63, laudes Augusti Getico sermone compositas Ex P. IV, 13, 19. Ovidius igitur, etsi in his epistulis omnia commemorat, quae ad vitam eius ac rationem cogitandi et maxime consilium carminum faciendorum spectant, tamen nusquam dicit, se in reliqua fastorum parte scribenda operam collocare. Abhorrebat quoque tale opus a lamentatione ac fletu, egebat hilaritate animi. Quare mihi persuasum est, per totum hoc tempus fastos plane omissos esse.

Sequitur, ut quaeram, quo modo in epistulis Germanici mentio fiat. Nam perspicue ex iis cognoscimus, fastos ante exilium Germanico non esse dedicatos, sed Ovidium paulatim eo duci, ut Germanicum carminibus celebrare sibi proponat. Omissis autem iis locis, ubi una cum ceteris principibus commemoratur, quaeram de tribus quattuorve, qui ad illum unum pertinent. Epistula Ex P. II, 1 a. p. Chr. n. 12 Romam missa triumphi Germanici ex Pannoniis acti accuratam imaginem effingit; quod bellum a. p. Chr. n. 7—10 gestum Germanico primam occasionem dedit ad probandam virtutem.[1]) Nihil autem praeter laudem bellicam in hac epistula ad honorem Germanici affertur. Epistula Ex P. II, 5 ad Salanum mittitur, Ovidii amicum et Germanici (v. 4. 43). Salanus appellatur „particeps studii“ Germanici (v. 41), cuius sermone principi „impetus“ datur; tum autem perspicua est „facundia principe digna“ (v. 55); Ovidio cum Salano studia poetica communia sunt (v. 63); votis pro salute Germanici factis carmen finitur. Videmus igitur, hac epistula eloquentiam principis laudari, non poesin, quod Rieseus falso dicit. Ex P. IV, 5, qui liber per annos

---

[1]) Cassius Dio LV, 32.

p. Chr. n. 12—15 scriptus est, id solum discimus, Ovidium oculos amicorum Caesaris Germanici ad se convertere studere. Denique epistula Ex P. IV, 8 Suillio amico intercessore usus poeta ab ipso Germanico auxilium petit. Ac diserte praedicat, se eum locum in suis carminibus, quem antea Augustus habuerit, futuro tempore Germanico concessurum, v. 63—66:

Et modo, Caesar, avum, quem virtus addidit astris,
sacrarunt aliqua carmina parte tuum.
Si quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro
restat in ingenio, serviet omne tibi.

Aliquid novi additur v. 67 „Non potes officium vatis contemnere vates.“ Hoc loco igitur primum de poesi Germanici dicitur; qui summus poeta esset, nisi maiora gereret (v. 69.) „Sed dare materiam nobis quam carmina mavis“ (v. 71). Postremo petit a Germanico, ut sibi meliorem sedem exilii det, 87 sq. Apparet ergo, Ovidium futuro tempori destinare laudationem Germanici. Inde Peterus iure concludit, eum antea Germanicum nondum celebrasse, cum in hac epistula nihil ea de re commemoretur. Sed Rieseus contra dicit, carmine ante longum tempus coepto, postea omisso, poetam minime principi commendari potuisse. Attamen interruptio operis satis excusari potuit, atque Germanico gratum esse debebat, quod sibi adhuc adolescenti talis honos tribueretur. Unum autem a Rieseo ad firmandam opinionem afferendum erat: Ovidius enim, cum ex Riesei sententia illo mendacio Trist. II priorem dedicationem ad Germanicum irritam fecisset, nunquam postea eam commemorare potuit, nisi ipse imprudenter fraudem suam aperire volebat. Ita opus fuit, eum per totam vitam usque ad mortem mentiri ac simulare. — Sed vides, eum paulatim ad spem venire, Germanicum sibi opem laturum esse, ac possis animadvertere, quibus gradibus eo ducatur, ut sibi proponat, illum carminibus celebrare. Primum enim (Ex P. II, 1) admiratur virtutem bellicam; de spe salutis nihil addit. Deinde Ex P. II, 5 admiratur oratorem, Salani amici amicum; denique poeta implorat poetam, Ex P. IV, 8. Atque his quidem annis Germanicus, qui anno a. Chr. 15 natus tempore relegationis

Ovidii adolescens erat, magis magisque rebus gestis clarus factus est et Romanorum oculos ad se convertit. Annis 7—10 p. Chr. n. Tiberius et Germanicus Pannonios vicerunt, a. 11 Germanicus proconsul Rhenum transiit, a. 12 consul Romae controversiarum patrocinia suscepit; deinde iterum fines Romanos a Germanis defendit, a. 14 post mortem Augusti seditionem exercitus sapientissime sedavit atque in Germania res praeclare gessit.[1]) Etiam hoc tempore eum studiis poeticis vacasse probabile est.[2]) Quare haud mirum, quod Ovidius quoque cum toto populo Romano spem in Germanico ponere coepit, viro aeque clementia atque ingenio insigni[3]), praesertim cum post mortem Augusti Tiberius rerum potitus esset, homo immitis, cuius „suspensa semper et obscura“ verba erant[4]), ut vel adulatio periculosa esset.[5]) Ac frustra ad eum carmen gratulandi causa miserat (Ex P. IV, 6, 17). Germanicus autem, a Tiberio adoptatus, fuit heres imperii, ipse Tiberius, qui paullo post Ovidium natus est, iam aetate provectus. Sed Rieseus iudicat, Germanici clementiam Ovidio inutilem futuram fuisse propter inimicitias Tiberii in Germanicum, quas Tacitus tradit, annal. II, 42. Nec vero hoc loco quaerendum est, num potuerit Germanicus poetae auxilium ferre. Nam ex epistulis Ex P. IV, 8, 81 sq. satis intellegitur, Ovidium quidem speravisse, Germanicum se adiuturum esse.

> Prosit opemque ferat communia sacra tueri
> atque isdem studiis imposuisse manum,
> litora pellitis nimium subiecta Corallis
> ut tandem saevos effugiamque Getas:
> clausaque si misero patria est, ut ponar in ullo,
> qui minus Ausonia distat ab urbe, loco.

Quare, sive putamus, illud odium Tiberii nondum omnibus notum fuisse, sive uxorem amicosve non ausos esse, Ovidio

---

1) Cass. Dio LV, 32. LVI, 11—15. Suet. Calig. 3. Tac. annal. I, 33 sq.

2) Aratea Germanici, ed. Breysig, 1867. Praef. XII.

3) Tac. annal. I. 33; Suet. Calig. 4—6.

4) Tac. annal. I, 11.

5) Suet. Tib. 27; Tac. annal. II, 87.

de ea re scribere, extat nobis illis versibus ipsum testimonium poetae, eum in Germanico spem posuisse. Itaque exspectandum erat carmen, quod poeta promiserat, de rebus gestis Germanici. Sed compositum non est. Neque enim indoles eius ad talia carmina fuit idonea (Ex P. II, 5, 27; III, 4, 85) et ipse dicit, se tam longe a Roma abesse, ut, quidquid novi praeclare geratur, mutilatum comperiat (Ex P. III, 4, 41) atque post multum tempus (Ex P. III, 4, 60; IV, 11, 15; IV, 8, 88). Huc spectare videtur in epistula Ex P. IV, 15, paenultima omnium, quae ad Pompeium, amicum Germanici, missa est, v. 33 „Scribere saepe aliud cupiens delabor eodem.“ Vides ergo, Musam eius a carmine promisso abhorrere. Spem autem nondum amisit v. 23:

Quod quoniam in dis est tempta lenire precando
numina, perpetua quae pietate colis.

Atque haec anno p. Chr. n. 15 scripta sunt, fuit igitur satis temporis, quo Ovidius in aliud opus incumbere posset, nam mortuus est, a. 17.[1]) Meditabatur autem, quonam alio modo promissum honorem tribuere posset. Atque, cum omnes lamentationes et questus frustra edidisset, quorum postremo ipsum pudebat (Ex P. IV, 15, 29), novam materiem quaerenti in mentem venit fastos retractare, opus summi argumenti, quod ad laudem Germanici celebrandam occasionem dabat. Tum quidem, Augusto mortuo, dedicationem ad alium facere licuit. Quare illud tempus ei attulit recordationem fastorum, quos conficere et Germanico dedicare volebat.

Sed Rieseus contendit, Ovidii animum ad tale opus suscipiendum iam nimis fractum fuisse. Vereor autum, ne vir doctus varietatem animi affectuum poetae parum respiciat. Sane quidem saepernumero Ovidius plane desperat ut in versibus, quibus epistulae finiuntur Ex P. IV, 16, 49—52:

Omnia perdidimus: tantummodo vita relicta est,
praebeat ut sensum materiamque mali.
Quid iuvat extinctos ferrum demittere in artus?
Non habet in nobis iam nova plaga locum.

---

[1]) Hieron. ad Euseb. chron. a. Abr. 2033.

Sed in praecedente epistula de spe sua uberius loquitur IV, 15, 27:

Nec dubitans oro: sed flumine saepe secundo
augetur remis cursus euntis aquae.

Neque epistulae Ex Ponto documento sunt, poetam meliora componere iam non potuisse; senties enim hic illic veterem splendorem ac suavitatem. Ac confitetur ipse, se nullam diligentiam in eas conferre. Ex P. I, 5, 61. Alius est autem poeta, torpore mentis ac desperatione afflictus, alius spe elatus et summam materiam nactus.

Sed mea sententia discrepat quoque a coniectura Merkelii. Nam exposui, ipsis epistulis satis intellegi, quo modo Ovidius ad novam dedicationem duceretur. Merkelius autem et Peterus coniciunt, Ovidium alteram curam coepisse, cum audiret, Germanicum a. p. Chr. n. 17 ad componendas res orientis missum esse. Atque afferunt locum Taciti hunc (ann. II, 54): „Tum extrema Asiae Perinthumque ac Byzantium, Thracias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat, cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi“ (a. p. Chr. n. 18). Sed hanc santentiam nec necessariam nec ferri posse puto. Ideirco enim Merkelius ac Peterus Taciti locum huc rettulerunt, quia nesciebant, quo modo Ovidius ad retractationem fastorum Germanico dedicatam duci potuisset. Quid autem est, cur Ovidius propter Germanici iter in spem salutis venerit? Nam, etsi princeps os Ponticum intravit, non iudicabis, eum Tomos profectum esse, cum veteres locos et fama celebratos cognoscere vellet. Sed, etiamsi putaremus, Ovidium sperasse, sibi occasionem fore videndi principis, num tam celeriter totum opus conficere potuit, ut Germanico praesenti daret? Accedit autem, quod non video, quantum temporis poetae ad opus perficiendum datum sit, etsi concedo, eum sub finem a. 17 mortem obiisse, non, quod vitae addunt, Majo. Nam eodem anno provinciae Germanico a senatu, iubente Tiberio, commissae sunt (Tac. annal. II, 43), atque nuntius post longum tempus demum Tomos pervenit (Ex P. III, 4, 59; IV. 11, 15).

b. Collatis epistularum libris probavimus, Ovidium ante exilium fastos Augusto dedicasse, carmen interruptum usque

ad mortem Augusti omissum esse, causam alterius curae et dedicationis ad Germanicum ex ipsis epistulis cognosci. Iam vero in fastis quaeramus, num alterius curae indicia extent. Manifesto autem ei loci ad alteram curam spectant, in quibus vel allocutio Germanici inest vel res tempore exilii gestae vel ipsum exilium commemorantur; quorum in enumeratione versuum ordinem sequar.

Incipit carmen a dedicatione ad Germanicum I, 1—26, in qua Peterus certa indicia exilii invenit, Rieseus temporis ante exilium. Equidem autem demonstrabo, nihil inesse in hoc prologo, quod alteri curae repugnet, etsi ipsius exilii indicia desunt. Nam non recte Peterus similitudinem huius prologi cum Ex P. IV, 8 affert, quoniam tales sententiae in promptu erant, atque quid aliud putat Peterus in allocutione principis dici potuisse? Porro adnotat, „Clario" pro usitato „Delphico" positum ad iter Germanici spectare, qui a. p. Chr. n. 18 Tacito auctore Clari deum consuluit (annal. II, 54). Sed hoc epitheton „Clarius" etiam art. am. II, 80 invenitur, etsi causa non perspicua est et metri condicione satis declaratur. Quae Rieseus affert comprobaturus, hos versus tempori ante exilium tribuendos esse, etiam minus probabilia videntur. Dicit enim, in v. 21 Ovidium orationum brevi ante auditarum meminisse. Sed recte Peterus opponit, poetam Ex P. III, 5, 7 eodem fere modo de oratione Maximi Cottae a se lecta dicere. Atque conferas laudem eloquentiae Germanici Ex P. II, 5, 49 i. e. a. p. Chr. n. 12. Deinde requirit Rieseus in prologo post mortem Augusti composito mentionem exilii et questus, qui loco sine dubio postea illato IV, 81 inveniantur. Et profecto, exspectamus lamentationem, si epistulas respicimus. Sed videamus, ne magnam indolem et expolitum iudicium poetae minoris aestimemus, qui non ignoravit, aliud licere in alio genere poesis. Sane quidem temerarium esset opinari, Ovidium etiam post tot tantosque labores hoc iudicio usum esse, sed ipse fast. IV, 81 aperte rationem scribendi explanat, quam secutus carmen conficere vult:

Ergo age tam longas sed supprime, Musa, querellas!
non tibi sunt maesta sacra canenda lyra!

Atque, etsi non multi loci necessario tempori exilii tribuuntur, tamen cognoscere potes, hanc insignem rationem scribendi ab Ovidio servatam esse. Nusquam enim praeter hunc unum locum ulla querella invenitur.

Apparet autem, poetae, qui talem rationem scribendi sequi posset, mentem haud ita debilitatam fuisse, id quod iam supra exposui. Itaque nullius momenti est, quod Rieseus affert, post mortem Augusti Ovidium elegantiorem prologum conficere non potuisse. — Porro miratur Rieseus, quod in prologo ad Germanicum, victorem Germanorum, facundia (v. 21) et ingenium poeticum (v. 23) laudantur, non res bello gestae. Sed laudis bellicae alio loco mentio fit I, 285; ac forsitan Ovidius in ea re Germanicum Druso praeferre dubitaverit, quorum utrique (v. 12) praemia pollicetur. Nec propter laudem bellicam spem in Germanico posuerat, sed propter studia poetica (ex P. IV, 8, 67; 81). Possis autem mirum consensum in ea re animadvertere, quod in v. 12 de laude bellica, v. 21 de eloquentia, v. 23 de arte poetica dicitur, ut in epistulis primum Germanicus imperator, deinde orator, tum poeta celebratur. — Porro Rieseus iudicat, poetam hoc prologo Germanicum adhuc adolescentem alloqui videri. Sed qua de causa? Immo v. 21 ad Germanicum consulem a. 12 p. Chr. pertinere videtur. Occurrere nolo a. p. Chr. n. 7 nec Germanicum nec Drusum res gessisse „praemiis“ dignas. Nam sciebant huius aetatis poetae, quidquid volebant, laudibus efferre. — Denique Rieseus argumentum repetit e v. 25:

Si licet et fas est, vates regi vatis habenas,
auspicio felix totus ut annus eat.

Negat enim, poetam tempore exilii sperare potuisse, se totum carmen perfecturum esse. Sed haud ita grandis erat natu. Ac Riseus, cum concedat, Ovidium in exilio operam collocasse in fastis scribendis, an putat, eum fragmenta relinquea voluisse? Nihil igitur inest in hoc prologo, quod alteri curae repugnet.

I, 63 Ecce tibi faustum, Germanice, nuntiat annum
inque meo primus carmine Ianus adest.

Propter allocutionem Germanici hi versus exilio tribuendi sunt.

I, 223—226 novum templum Iani commemoratur, a Tiberio a. 27 dedicatum, iam ab Augusto coeptum. Quare Rieseus negat, hunc locum exilio tribuendum esse, cum poeta ita etiam de exspectato templo loqui possit. Cui occurrit Peterus, allato loco Plinii, illud „aurea“ hic proprio sensu intellegendum esse, quoniam templum Iani profecto auro occultatum fuerit (Nat. hist. 36, 28). Sed, si concedimus, Ovidium restitutionem templi ab Augusto vel Tiberio propositam comperisse, quid est, cur non etiam totum modum efficiendi audierit? Quare Rieseo assentior, hos versus per se ad extremum tempus exilii referri non debere. Sed accedunt duae causae, propter quas illi tempori tribuendi sunt. Primum 223—226 repugnant praecedentibus; Ianus, etsi antea vetustam simplicitatem laudat, pergit sic:

223. Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
aurea.

226. Mos tamen est aeque dignus uterque coli.

Quae verba, quamvis per se ad Ovidii rationem (Art. amat. III, 113—128) apta sint, tamen ab hoc loco aliena, ut coniicias, ea postea negligenter illata esse. — Deinde v. 223—226, ubi secundum templum Iani commemoratur, repugnant versibus 257 sq.:

Cum tot sint iani, cur stas sacratus in uno,
hic ubi iuncta foris templa duobus habes?

qui ad unum Iani templum spectant. Quare mihi persuasum est, v. 223—226 post a. 15 illatos esse. Miror autem, quod Rieseus hoc loco affert, in libro Germanico dedicato mentionem rerum a Tiberio gestarum haud necessariam esse. Neque enim fastorum argumentum ad solum Germanicum pertinebat, et imperatori Tiberio honos tribuendus erat.

I, 285—288. Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi,
tradiderat famulas iam tibi Rhenus aquas.
Iane, face aeternos pacem pacisque ministros,
neve suum, praesta, deserat auctor opus.

Etiam Rieseus concedit, hos versus ad victoriam Germanici a. 16 p. Chr. n. a Germanis reportatam spectare. Offendo autem in eo, quod exponit, v. 501 sq. aut ante iter Germanici in Asiam scriptos esse aut orare poetam, ne Germanicus a bello desistat. Neque enim probabile est, Ovidium talequid ansum esse, cum Tiberio auctore illud bellum interruptum esset; atque in versu 287 pacem aeternam peti, in versu 288 optari, ut bellum redintegretur. Sed Augustus intellegendus est, qui aeternam pacem praestat, et v. 288 poeta orat Ianum, ut vitam imperatoris tueatur. Mea sententia igitur soli duo versus 285 sq. postea illati sunt, pro quibus aliquid aliud scriptum fuisse puto.

I, 389 Exta canum vidi Triviae libare Sapaeos,
et quicunque tuas accolit, Haeme, nives.

Quos versus Rieseus et Peterus iure exilio tribuerunt, quod ad iter poetae pertinent, cum in exilium ivit. Legimus enim Trist. I, 10, 23 „Nam mihi Bistonios placuit pede carpere campos.“ Ibi autem etiam Sapaei habitabant. Nec vero solum artificium quoddam poeticum, id quod Loersius affert (comment. in P. Ovidii Nasonis fastos, part. I. Trier 1851, 8—11), hoc loco extat; careret enim probabilitate, quoniam poetae Romano per se non licebat dicere, se sacrificium vidisse apud Sapaeos. Canis sacrificium autem etiam in versibus IV, 936 sq. aperte Romae scriptis commemoratur, quod „pro cane sidereo“ fit et „nova victima“ appellatur; eo tempore igitur morem Sapaeorum nondum novisse videtur, qui ei postea magis in promptu erat.

I, 533—536 pertinent ad recusationem Tiberii [1]) et ad cognomen Liviae ex testamento Augusti inditum.[2]) Quae additamenta in retractatione operis necessaria fuerunt, cum praesagia Carmentae ad postremum tempus ducenda essent.

Qui sequuntur duo loci inveniuntur in laude nominis Augusti I, 587—616. V. 590 „Et tuus Augusto nomine dictus avus.“ Ovidius alloquitur Germanicum; consentaneum

---

[1]) Tac. annal. I, 11.
[2]) Tac. annal. I, 8.

est, antea hic allocutionem Augusti extitisse, quam post mortem eius commutare volebat.

V. 615 sq. Auspicibusque deis tanti cognominis heres
omine suscipiat quo pater, orbis onus.

Rieseus iudicat, hos versus haud multo ante mortem Augusti adiectos esse, cum de successore imperii dicatur. Sed id ipsum offensionem affert. Nam Augusto vivo non ita de successore locutus esset.

I, 637—650 memoratur templum Concordiae a Tiberio a. p. Chr. n. 10 sacratum; qui versus a Rieseo tempori ante mortem Augusti tribuuntur. Nam negat, Ovidium ausurum fuisse, imperatore Tiberio Augustum „magnus Juppiter“ appellare. Sed certo scimus, Tiberium cultum Divi Augusti quovis modo curasse (Tac. annal. II, 50).

I, 701 sq. Gratia dis domuique tuae, religata catenis
iampridem vestro sub pede bella iacent.

Hic locus ad exilium pertinet propter allocutionem Germanici; nam non puto, Ovidium in allocutione Augusti ita mentionem ipsius imperatoris neglecturum fuisse. De pace autem, ad quam hi versus spectant, Rieseus et Peterus in diversas sententias discedunt; ille intellegit pacem post bellum civile ab Augusto firmatam, hic in v. 701 pacem Germanici victoriis confectam, v. 702 priori curae tribuit. Sed utrique paci repugnant verba „domuique tuae“; nam ob illam soli Augusto gratiae agendae erant, ob hanc soli Germanico; neque „iam pridem“ de ea dici potest. Sed ego iudico, duplicem pacem ab Ovidio tam subtiliter non distingui. Intellegenda est pax, ab Augusto Romanis data, sempiterna, quam imperator eiusque domus perpetuo defendunt et confirmant (cf. I, 67; 287; 711).

Ad hos novem locos primi libri in aliis libris accedit unus, IV, 79—84[1]), qui in quaestione de altera cura gravissimus esse videtur. Nam primum poeta hoc uno loco ipsius exilii meminit, deinde cum mentione exilii allocutio Germanici coniungitur, tum hic unus locus in libris II—VI

[1]) Haud fortuito factum esse puto, ut versus insequens 85 incipiat: „Quo non livor abit?“

necessario ad alteram curam spectat, denique, id quod supra exposui, hoc loco poeta moderatam rationem totius retractationis profitetur.

Peterus autem etiam alios locos addit, qui quamvis probabiliter tamen non necessario exilio tribuuntur. Miror autem, quod I, 85 inter eos refert. Nam, etsi Germani nondum victi erant, tamen illius aetatis poetae licebat praedicare, orbem terrarum esse Romanorum. Ac sententiarum ordo recte procedit, ut non assentiar Rieseo, qui hos versus transponendos esse statuit. Nam fieri non potest, quin poeta in descriptione pompae, quae ad Arcem ascendit, Iovem Capitolinum adoratura, postremo ad mentionem Iovis ducatur.

Probabiliter autem exilio tribuuntur I, 67, quoniam in hac sollemni supplicatione diserta mentio Augusti requiritur; I, 85, ubi Peterus certum vestigium exilii cognoscit, sed verba Carmentae etiam apud poetam non relegatum ita inveniri possunt et in ipsa fabula posita sunt. Concedo autem tecta significatione loci vim augeri. Similiter res se habet I, 540 „Felix exilium, cui locus ille fuit“, et VI, 666, „Exilium quodam tempore Tibur erat“. Nam possis interpretari, mirari Ovidium veterem morem exilii, a sua aetate alienissimum. — I, 713 „Dum desint hostes, desit quoque causa triumphi“ melius intellegitur, quo tempore hostes profecto desunt i. e. post victoriam Germanici. — IV, 9 „Quae decuit primis sine crimine lusimus annis“, facile cognoscere possis excusationem priorum carminum, praesertim cum conferas cum Trist. II, 353. —

Sed Rieseus cum neget, alteram curam extare, docet, Ovidium quinque locos in exilio diversis temporibus inseruisse, I, 285 post a. 16; I, 389 post a. 7; I, 531 post a. 14; I, 645 inter a. 10 et 14; IV, 81 post a. 7; eum nunquam desiisse, in hoc carmine operam collocare.

Sed apparet, poetam ita nugarum insimulari. Debebat enim, quoniam priorem dedicationem ad Germanicum illo mendacio Trist. II irritam fecerat, carmen re vera Augusto dedicare. Ex Riesei sententia vero non modo priorem allocutionem Germanici servasset, sed etiam novam addidisset.

At tamen Augusto vivente nunquam carmen Germanico dedicatum in lucem edere debuit. An putas, eum solius voluptatis causa carmini operam navasse, quod edere nollet? Quod quam incredibile sit, in promptu est; sed ne ita quidem querella IV, 81 intellegitur. Quare illi loci nisi post mortem Augusti illati esse non possunt. Extat igitur altera cura post mortem Augusti Germanico dedicata.

II.

In altera parte quaestionis perscrutabor, qualis illa altera cura fuerit, in qua haec mihi demonstranda proposui, primum, Ovidium singulas partes per se compositas tum demum coniunxisse et supplevisse, deinde, retractationem ad omnes sex libros pertinuisse, denique, eam leviter et negligenter confectam esse.

a. In fastis variae fabulae enarrantur, sacra describuntur, cursus siderum ad singulos dies spectantes exponuntur. Quae omnia nulla alia re inter se conexa sunt, nisi certo ordine dierum. Quare probabile duxerim, poetam hoc carmen non uno tenore ab exordio usque ad finem componere voluisse, sed per longum temporis spatium modo hanc modo illam partem, ut vel rebus vel ingenio commovebatur, quas postea conecteret et suppleret. Singuli libri enim ne poterant quidem statim perfici propterea, quod, quidquid novi per hoc spatium gerebatur, inserendum erat, alia ad tempus commutari debebant. Quae scribendi ratio, ut ad argumentum carminis apta erat, ita multis aliis rebus confirmatur. Nam puto, si sex libri fastorum tempore exilii iam perfecti et absoluti fuissent, Ovidium eos in lucem editurum fuisse, cum quisque liber per se satis intellegeretur. Dimidia autem carminis pars consilium totius operis aeque Romanis indicare poterat ac nobis. Atque inerant multa, quae ad placandam mentem Augusti magis idonea essent quam preces ac lamentatio.

Accedit, quod in ipsis fastis vestigia huius rationis scribendi inveniuntur. Extant enim praeter singulorum dierum

descriptiones embolia quaedam, quae, cum per se satis intellegantur, non iusto loco illata sunt. Ita laus astronomiae I, 295—310 discrepat cum I, 2; nam utroque loco extat prooemium partis astronomicae fastorum. Atque facile intellegitur, tale vitium in opere uno tenore confecto existere non potuisse.[1])

Parte per se absoluta II, 3—18 de metro elegiaco agitur, quae incommode cum prioribus versibus coniungitur. Nam Peterus aberrat coniectura, qua probare vult, extare hoc loco prologum Romae scriptum et toti operi destinatum ac dedicationem ad Caesarem Augustum, quam post mortem Ovidii editores in schedis relictis invenerint et falso alterius libri primordio inseruerint. Neque enim recte affert similitudinem embolii II, 3—18 et prologi I. Nam in I, 4 „timidae dirige navis iter“ et II, 3 „velis itis“ eadem cum nave comparatio usurpatur, quae, ut ipse Peterus ad I, 4 adnotat, saepius apud Ovidium aliosque poetas usitata est; I, 1 sq.:

Tempora cum causis Latium digesta per annum
lapsaque sub terras ortaque signa canam.

et II, 7:

„Idem sacra cano signataque tempora fastis“,

pronuntiatur idem carminis argumentum, sed plane alio modo; I, 17 rogat Germanicum „da mihi te placidum“, et v. 6 „dexter ades“, II, 7 Augustum „Ergo ades et placido paulum mea munera vultu respice.“ I, 15

„Annue conanti per laudes ire tuorum“

et II, 16 „per titulos ingredimurque tuos“ vix ulla similitudo apparet. Tantum igitur abest, ut II, 3—18 repetitionem molestam aegre feramus, ut admiremur variandi felicitatem in illustranda eadem fastorum ratione. Summa versuum II, 3—18 autem omnino ad dedicationem spectare nequit. Nam v. 3—16 de elegis agitur, qui hoc carmine Caesaris nomen

[1]) Peterus hanc laudem astronomiae, quam ad Aratea Germanici spectare putat, exilii tempori tribuit. Sed quid est, cur Ovidius non antea talem laudem astronomiae composuerit, quae ad argumentum carminis aptissima est, praesertim cum eo tempore in more fuisse videatur, rebus astronomicis vacare? Ac, si iam Aratea Germanici novisset, eum aliquid de his commemoraturum fuisse puto.

celebraturi sunt, v. 17 et 18 paucis rogat Caesarem, ut placido vultu munus respiciat. Atque illa prior pars divisa est ita, ut v. 3—14 de sola elegorum natura dicatur, v. 15 et 16, quid ipsis elegis poeta persecutus sit, exponatur. Deest quoque titulus, qui carminibus epicis ac didacticis in primo versu praeponebatur.[1]) Accedit, quod res iocose tractatur, nam multis verbis festive de militia agitur, v. 9—14. In prologo autem toti carmini destinato nomen Augusti cum fastis coniunctum eique ipsum carmen dedicatum esse dicendum erat. Apparet igitur, versus compositos esse ad illustrandam hanc sententiam, hoc carmine de longe alia re usurpari metrum elegiacum Ovidio gratissimum atque antea. Poeta autem cum partes coniungeret et ordinaret inseruit hoc initio secundi libri, quippe qui prooemio careret, quod ceteris libris praepositum est. Inducuntur enim dei poetam alloquentes, in III Mars, in IV Venus, in V Musae, in VI Iuno, Hebe, Concordia, in I Ianus, sed praecedit etiam prologus ad Germanicum. Porro in altero libro poetae occasio dabatur ad insignem laudem Augusti, cui Non. Febr. a. Chr. n. 2, cum summa uteretur potestate, nomen „Pater Patriae" inditum erat, celebrandam.[2]) Quare versibus 119—144 laudibus ad caelum tollitur, collato ei cum Romulo palma datur, comparatur cum Iove. Eodem loco iterum de metro elegiaco dicitur, quod ad tale opus infirmum sit v. 125. Quare casu factum non est, ut illud embolium in initio libri II poneretur. Sed non minus certum est, id postea illatum esse. Nam v. 3 „Nunc primum velis, elegi, maioribus itis", a quo embolium incipit, parum commode sequitur versus praecedentes:

Ianus habet finem. Cum carmine crescit et annus.
Alter ut hic mensis, sic liber alter eat.

Sane quidem si rem diligentius examinaveris, non dubitabis, quin opponantur fasti prioribus carminibus, non secundus

---

[1]) cf. Philologische Jahrbücher für 1874, 569; Riese, Bericht über die Litteratur zu Ovid für 1874 und 1875, Bursians Jahresberichte, 244.

[2]) Suet. August., 58. cf. Peter, Geschichte Roms, III, 70.

fastorum liber primo, praesertim cum primus liber nondum editus esset. Sed offendimus in obscuritate verborum.

Illa scribendi ratio etiam ex similitudine descriptionum et fabularum I, 151 sq. et III, 235 sq., I, 391 sq. et VI, 319 sq. cognoscitur, etsi hanc similitudinem molestam esse Petero non concedo. Nam in duabus descriptionibus veris poeta plane diversum consilium sequitur, in priore (I) demonstratur, vere omnia nova fieri, in altera (III) fertilitas veris illustratur. Ac perspicua est varietas verborum; eadem enim verba in solis versibus I, 152 et III, 238 occurrunt: „Et nova de gravido palmite gemma tumet" atque „Vividaque in tenero palmite gemma tumet." Sed haec etiam Trist. III, 12, 13 et Verg. Ecl. 7, 48 usurpata sunt. — Diverso consilio quoque furtivi amores Priapi enarrantur I, 391 sq. et VI, 319 sq.; in una fabula (I) quaeritur, cur asinus Priapo immoletur, in altera (VI), cur ornetur floribus. Quare non est, cur poeta hos locos librorum III et VI in retractatione reicere debuerit, sed uno tenore eos omnino non conscripsisset.

b. Iam ex ea re, quod Ovidius in altera cura demum singulas partes conexuit et supplevit, sequitur, ut altera cura ad omnes sex libros spectaverit. Sed, si carmen cum calendario Maffeano, fastis Praenestinis, Amiternis conferes, tam multa eaque satis gravia omissa esse apparebit, ut sex libri nondum absoluti esse videantur. Nam in Maffeano adnotatum est ad Mart. 27 [1]: Hoc die Caesar Alexand recepit, in Praenestino ad Mart. 10 [2]: Ti Caesar Pontifex max fac est. April. 24 Sig. Divo Augusto Patri ad theatrum Marcell. Iulia Augusta et Ti Augustus Dedicarunt. Ti Caesar togam virilem sumpsit; in Amiterno [3] ad Mai. 26: Eo die Caesar appellatus invictus est. Iun. 26. Fer. ex S C quod eo die Augustus adoptavit filium Ti Caesarem.

Sed alia ab Ovidio ad fastos addita sunt ut consecratio

---

[1]) Corpus Inscriptionum Latinarum ed. Th. Mommsen, Vol. I, 303.
[2]) C. I. 311 sq.
[3]) C. I. 323.

C. Iulii Caesaris III, 697—710, proclium Mutinense IV, 627 sq., nomen Imperatoris Octaviano tributum IV, 673—676, clades Crassi VI, 465—469. Vides ergo, poetam suo arbitrio singulos dies omisisse et auxisse, neque quidquam ex ea re conici posse, id quod Merkelius voluit.

Peterus autem demonstrare studet, retractationem ad unum primum librum pertinuisse, cum differentia quaedam animadvertatur inter I et II—VI. Et profecto, inveniuntur paene omnes loci, qui necessario ad alteram curam spectant, in primo libro. Sed propter non nullas causas hic liber maxime idoneus fuit, cui in altera cura plurima adderentur, ita ut ceteris libris paene nihil relinqueretur. Debebant autem addi in altera cura praeter dedicationem ad Germanicum, quaecunque a tempore exilii praeclare gesta erant. Atque constat, sub finem imperii Augusti pauca gesta esse mentione digna.[1]) De Tiberio autem plurima in primo libro dicta sunt, quae afferri potuerunt, patrem eius esse Augustum (533), matrem Liviam (649), cum Germanos vicisse (646), templum Dioscurorum dedicasse (707), Concordiae refecisse (640), imperium initio recusasse (533), pro quo vota concipiuntur. — Aedes autem arcusque, quae fine anni 16 p. Chr. aedificavit[2]), in prioribus libris commemoranda non erant.

De Germanico quoque omnia iam in primo libro allata erant, cum esse filium Tiberii, nepotem Augusti, fratrem Drusi (10, 590, 12), insignem doctrina (19), facundia (21), ingenio poetico (23); poeta petit ab eo, ut carmini faveat (25), gratulatur ei initio anni (63), laudat victorias de Germanis reportatas (285). Requirere possis mentionem, cum flaminem Augusti esse (Tac. ann. I, 54; II, 83), sed hoc magis Octobri mensi convenit, quo Augustalia celebrabantur.

Dedicatio autem in primo libro suo loco posita est; gratulatio initio anni I, 63 in promptu erat; haud necessario fit, ut Germanicum bis alloquatur I, 590; 701; et ut itineris

---

[1]) cf. „Res gestae divi Augusti ex monumentis Ancyrano et Apolloniensi“ ed. Th. Mommsen, 43.

[2]) Tac. ann. II, 41.

in Thracia mentionem faciat I, 389; atque hoc quidem casui tribuas, illud in initio carminis magis in mentem venit quam postea. Nec mirum, quod consilium totius operis et nomen eius, cui dedicatur, in initio maxime ante oculos ponitur. Sed forsitan dixeris, Ovidium eadem de Germanico in ceteris libris repetere potuisse. Attamen repugnabat argumento operis ad Augustum pertinentis, sive ei dedicatum erat, sive Germanico. Nam prologus I, 3—26 docet, in carmine inesse „sacra annalibus eruta priscis", „dies merito notatas", „festa domestica", quae omnia ad Augustum spectabant; Germanico relinquebantur „praemia" quibus afficitur. Possis autem observare, differentiam in laudibus Augusti, Tiberii, Germanici conspicuam aptissimam esse ad id, quod Tiberius poscebat[1]), cuius mores noverat: cultum Augusti ut Dei, venerationem imperatoris Tiberii, honorem principum ac domus. — Sed ne deest quidem omnis certa mentio Germanici in libris II—VI; immo extat locus summi momenti in libro IV; in quo uno poeta de ipso exilio dicit, supplicatione quadam adiecta. Itaque Rieseus iure reprehendit sententiam Peteri, qui cum locos ad exilium spectantes in libro I altera cura ac certa ratione retractationis explanet, insignem locum libri IV per occasionem illatum esse putat. Ego vero omnino nescio, quo modo intellegendum sit, aliquid per occasionem inseri. Neque enim fortuito hi versus praecedentibus adiuncti sunt, sed Sulmonis mentione Ovidius magis quam alio loco dolore commovebatur. Apparet igitur, eum hunc librum iterum legisse, cogitando persecutum esse, quaedam inseruisse, ubi commodissimum esset. An putas, alteram curam ad primum librum pertinuisse et ad quartum, non ad ceteros? Miror autem, quod Peterus illud quod recte dixerat Rieseus, coniecturam de altera cura non probabiliorem reddi neglecto tam insigni loco quarti libri, ita reicit: Ipse hic locus ad illam sententiam aptissimus est, quia cum allocutione Germanici mentio exilii coniungitur. Vides enim, eum non descendere ad Riesei sententiam, qui non infitiatus erat, hunc locum

[1]) Tac. annal. II, 50.

tempore exilii scriptum esse et ad carmen Germanico dedicatum spectare. Nondum igitur ab Petero explanatum est, qui fieri potuerit, ut hic locus in quartum librum inferretur, quoniam Ovidius primo libro retractato mortem obiit.

Nec confirmatur Peteri sententia ea re, quod in libris II—VI etiam multa insunt, quae ad Romam et ad priora tempora, maxime ad Augustum viventem spectant. Sane quidem inveniuntur quattuor loci, in quibus mentio Augusti viventis molesta est; offendimus enim in usu temporis praesentis II, 59—66; III, 415—428; IV, 949—954; VI, 455—460. Alii loci minorem offensionem praebent, qui etiam post mortem Augusti servari poterant: II, 119—144; 637 sq.; IV, 348; alii facile ad Tiberium vel Germanicum referebantur: IV, 19 sq.; 408; 859. Sed etiam in primo libro v. 613 sq. de Augusto ut de vivo dicitur:

Augeat imperium nostri ducis, augeat annos,
protegat et vestras querna corona fores

et v. 257 ad tempus ante exilium pertinet.

Quodsi poeta multis locis fingit, se aliquid Romae vidisse vel comperisse, omnino non opus fuit, eos in altera cura mutari. Sed ne differunt quidem in hac re libri I et II—VI. Nam cum in aliis libris plura inveniantur eius rei exempla, in V unus locus extat v. 93 et in I, 243:

Hic, ubi nunc Roma est, incaedua silva virebat.

Porro Peterus offendit in III, 236 et VI, 319 propter similitudinem cum I, 151 et I, 391. Quae qualis sit, iam supra exposui; sed, si concederemus, similitudinem molestam esse, comprobaretur negligentia in libris II—VI, non diligentia in I adhibita. Ego vero etiam I, 391 potius exilio tribuerim, quia mentione regionum Hellesponti facta facile Priapi in mentem venit; nam conferas Trist. I, 10, 23—26.

Atque omne genus negligentiae etiam in primo libro invenitur, ut I, 148 „verbaque sum spectans pauca locutus humum“, si confers cum v. 161 „Quaesieram multis“, ubi magna negligentia perspicua est, etiamsi „pauca locutus“ ut loquendi formula usurpatur (Peter, Ed. fast. 39); atque v. 295 sq., si confers cum v. 2. Nihil igitur est, cur alteram curam ad solum primum librum pertinuisse statuatur.

c. Apparet autem, retractationem leviter et negligenter confectam esse. Ac iam supra exposui, singulas partes parum accurate conexas, versus postea additos non satis concinne cum ceteris conciliatos esse; enumeravi temporum difficultates, locos inter se repugnantes. Nam poetae indoles abhorrebat ab ea diligentia, qua nova adiungere, vetera reicere, singula conectere et supplere debebat. Etiam in rebus astronomicis plurima vitia invenies[1]), et in sacrorum descriptione et rerum veterum cognitione multa leviter tractata sunt, quae a Petero acute indagata in editione eius adnotantur, ut I, 33; 261; 323; 363 sq.; II, 47; III, 349 sq.; V, 75 sq.; VI, 669 sq. Metricam negligentiam vero non obiecerim, etsi duo pentametri finiuntur verbis, quae ex quatuor syllabis constant. (V, 582; VI, 660.) Nam Hultgrenius docet, hexametros fastorum ordine et ubertate dactylorum reliquos omnes superare. (Jahrbücher für Philologie 1873. 750.) Sed in aliis rebus magna negligentia animadvertitur, quae ipsa inde repetenda est, quod poeta alteram curam brevi tempore conficere volebat.

Restat, ut quaeram, qui factum sit, ut nihil relinqueretur praeter sex libros, dimidiam partem totius operis. In promptu autem est, Ovidium totum opus perficere non potuisse, cum paullo post coeptam retractationem moreretur. Atque exposui, antea singulas partes nondum conexas sed dispersas extitisse. Patet igitur, talia edi non potuisse. Ac forsitan dixeris, poetam in retractatione sibi initio solam editionem dimidii operis proposuisse. Sed probabiliorem causam, in ipsa sequentium mensium natura positam, invenies, si considerabis, menses Julium, Augustum, Septembrem, Octobrem multo magis quam praecedentes ad solam laudem Augusti pertinere. Mensis Julius enim a C. Julio Caesare nomen accepit, mensis Augustus ab Augusto, Septembri consecratio Augusti ac dies natalis, Octobri Augustalia celebra-

---

[1]) Ideler, Ueber den astronomischen Theil der Fasti des Ovid, Abhandlungen der Berliner Akademie 1822. 23. (1825.) 137—169.

bantur. Praeterea autem multi singuli dies mentionem Augusti poscebant[1]): Iul. 4 Ara Pacis Aug. 6. Ludi Apoll. 12. C. Caesar est natus. 20. Lud. vict. Caesar. Aug. 1. Hoc die Caesar in Hispan. vicit. Feriae ex S. C. q. e. d. Imp. Caesar Divi f. rem public. tristissimo periculo liberavit. 2. In Ponto eo die regem Pharnacem devicit. 5. Saluti. 9. Hoc die Caesar Hispali vic. Caes. C. f. Pharsali devicit. 28. Feriae h. d. q. deae Vict. ara dedicata est. Sept. 2. Augustus apud Actium vicit. Caes. Divi f. vicit in Sicilia. 17. Divo Augusto honores caelestes a senatu decreti. Oct. 5. Ludi Divo Augusto et Fort. Reduci committ. 12. Imp. Caes. Aug. ex transmarin. provinc. urbem intravit araq. Fort. Reduci constit.

Apparet igitur, plurima eorum, quae in descriptione horum mensium extabant, post mortem Augusti commutari vel reici debuisse. Ita carmen a mense Iulio non tam celeriter processit et intercapedo scribendi facta est.

Ac si vera sunt, quae exposui, propter duas potissimum causas hanc quaestionem non inutilem esse puto. Primum enim ipsum carmen egregium ita demum recte intellegitur. Deinde de extrema parte vitae Ovidii, ex quo tempore epistulae desunt, certior parata est notitia, cum intellegamus, eum usque ad mortem nunquam sperare desiisse, atque, cum per longum temporis spatium lamentationibus indulsisset, postremo maiora spectantem carmen dignum suo ingenio mira cum moderatione confecisse.

---

1) cf. Mommsen. C. J. I, Maff. 306, Vall. 320, Vatic. 322, Amit. 324.

Corrigendum: pg. 13 l. 2 leg. 17.

Vita.

Natus sum, Paulus Goldscheider, in urbe Marchica, cui nomen Sommerfeld inditum est, prid. id. Jul. a. 1854 patre Maximiliano, matre Amalia e gente Wiesenthal. Fidei addictus sum evangelicae. Testimonium maturitatis in gymnasio Stendaliensi adeptus sum mense septembri a. 1873. In literarum universitate Halensi per sex semestria audivi professores Bernhardy, Keil, Dittenberger, Hense, Zacher, Hildebrand, Duemmler, Kirchhoff, Haym. Aestate a. 1876 Berolini Kirchhoff me docuit. Halis seminarii philologici, a Keil et Dittenberger temperati, fui sodalis et senior. Haym permisit, ut societati philosophicae interessem. — Quibus viris optime de me meritis gratias habeo maximas.

Theses.

I.

Sophocl. Oed. Col. v. 28 sq. codicis Laurentiani scripturam:

ἀλλ᾽ ἔστι μὴν οἰκητός· οἴομαι δὲ δεῖν
οὐδέν· πέλας γὰρ ἄνδρα τόνδε νῷν ὁρῶ.

defendendam esse puto.

II.

Antigona ante canticum Sophocl. Ant. 944 e scena recedat oportet.

III.

Versus hexameter dactylicus et versus trimeter iambicus caesura semiseptenaria ex geometrica ratione aureae sectionis dividuntur.

IV.

Litterae gothicae *i* et *u* vetustiorem statum servarunt quam graecae latinaeve *ĕ* et *ŏ*.

V.

Lockii sententia, mentem humanam principio „tabulam rasam“ esse, ipsa eius theoria cognoscendi refellitur.
